Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift

menta. et uerens ne forte per interpretationem occultarent. incertam diuinis uoluminibus ueritatem. singulos a se inuicem separat. et eadem seorsum positos interpretari iubet. eumque ordinem interpretandi in singulis quibusque uoluminibus obseruari. quosque rursum in se coram in unum omnes reuocari. et conferre ad inuicem que singuli interpretati sunt facit. Et tunc deus uere glorificatur. et scriptura sancta quod uere diuina esset agnosceretur. Omnes enim eadem isdem uerbis eisdemque nominibus ac sententiis scripserant ab initio usque ad finem. ita ut et ipsi qui aderant gentiles agnoscerent. quia dei nutu scripture sunt interpretate sunt. Et nichil mirum si diuina prudentia hoc ita fieri procurauit. cum et in ea captiuitate que populo acciderat sub nabuchodonosor rege corruptis scripturis. cum post .lxx. annos iudei ad patriam suam redirent temporibus artaxerxis persarum regis. inspirauit deus Esdram sacerdotem ex tribu leui. ut omnia priorum prophetarum uolumina ac uerba repararet. et restitueret populo legem que per moysen fuerat data. Hec Ireneus.

Cap. viii.

Igitur .x. et viii. annis Antoninus cum in imperio perdurasset. post excessum sui principatum commodo dereliquit. Huius primo imperii anno Iulianus apud alexandriam sacerdotium suscepit. agrippino expletis .xii. annis in episcopatu defuncto.

Cap. x.

Cum per idem tempus scole ecclesiastice et doctoris officio preesset uir nominibus eruditione nobilissimus pantenus. ex quo apud eos consuetudo antiquitus tradita usque in hodiernum permanet. diuinarum scripturarum doctores inibi scole ecclesiastice